Lane Medical Library

DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VII. MENS. JANUARII A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS ZUMNORDE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. FREY, MED. ET CHIR. DR.
C. BISCHOPINCK, MED. ET CHIR. DR.
A. WILKINGHOFF, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, SUMMOPERE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Inter varios, qui muliebre tantum corpus aggrediuntur, morbos certe chlorosin, et ob magnam frequentiam, et ob malos, qui neglectam sequi solent, eventus, inter graviores ponendam atque accuratiore descriptione dignam esse, nemo dubitabit. At respicienti mihi magnum eorum numerum, qui de hoc morbo scripsere, inter quos quidem viros esse video, in medicina quam maxime illustres, vix ulla superest spes, fore, ut aliquid novi, aut illis meliora, proferam. Sed si desint vires, tamen est laudanda voluntas.

HISTORIA.

Etsi veteres, ut Hippocrates, Galenus, Castro, symptomatum hujus morbi mentionem

faciunt, tamen ejus nomina, chlorosis, morbus pallidus, icterus albus, morbus virgineus, pallor virgineus, foedus virginum color, cachexia virginea, cachexia pubertatis, febris alba, febris amatoria, recentiori demum tempore in usum vocata sunt. Inter quae quidem nomina, partim ex morbi causa partim ex symptomate ejus maxime perspicuo sumpta, chlorosis longe usitatissimum est.

Morbus ille, corpus tantum muliebre, ea quidem aetate, qua adhuc systema genitale viget, aggreditur, inprimis virgines, aut viduas, aetate nondum provectas. Contendunt quidem aliquot, ut Sauvages, infantes quoque et viros chlorosi laborare posse, errant vero, nisi colorem pallidum et assimilationem labefactam pro unicis morbi symptomatibus habeant.

SYMPTOMATOLOGIA.

Omnium maxime cutis mutatio in conspectum prodit, quae colorem praebet albo pallescentem vel flavescentem, imo vero, si morbus invalescit, virescentem. Palpebrae mox colorem induunt coeruleum. Tunica albuginea subflava evadit, sordida; facies pallida, tumida, livida, rubor genarum fugax, quippe qui tantum animi affectibus celeriter restituatur et aeque celeriter fugiat.

Ipsum os, labia, palatum et lingua ruborem solitum amittunt. Sed non solum color, functiones quoque cutis sunt mutatae. Perspiratio ejus aut suppressa est, aut nimis aucta, aut alienata, ita ut sudor acidus edatur. Minuta autem vel plane suppressa cutis exhalatione, humores e sanguine excreti sub cute retinentur, quo hydrops oritur anasarca, oedema pedum, quin morbo ingravescente ascites et hydrops pectoris, nisi humores per vias uriniferas excernantur, quo fit, ut turbida, jumentosa, aut pituitosa urina appareat. Pari modo musculorum actio debilitatur. Exiguos motus musculorum summae lassitudinis sensus sequitur, ita ut incredibile fere videatur, quod tamen unanimiter referunt medici experientissimi, chlorosi laborantes puellas haud raro per horam et quod excurrit saltasse, quin minimam expertae sint fatigationem. Gressus segnis, tardus est, quandoque tremor artuum et subsultus tendinum, modo spasmi, constrictio faucium, globus hystericus. Aegrotae alimenta consueta non appetunt, imo vero perhorrescunt; anorexiam sequitur dyspepsia, materias, a cibis humanis maxime alienas, ut cretam, calcariam, cineres, carbones etc. devorandi cupiditas (pica, malacia). Digestio magis magisque languet, accedentibus

gastrodynia, cardialgia, rugitu et diarrhoea. Quosdam subinde dolores, tensionem et distractionem in cavo abdominis, ad hypogastrium, renes et regionem inguinalem migrantes persentiunt. Mox et functiones vitales turbantur, dyspnoea oritur, quae interdum fere ad suffocationem intenditur, motus cordis concitatur et violentus redditur, ita ut vel minima corporis agitatione, praesertim si scalas ascendit aegrota, aut gradum accelerat, palpitatio cordis exoriatur. Arteriarum pulsus admodum mutabilis plerumque celerrimus, debilis, interdum vero tardus; calor animalis minutus. Somnus inquietus, alternans cum somnolentia, cum pervigilio. Functiones sexuales solent turbari. Menses aut suppressi aut retardati, aut nulli, fere semper decolores, parci, saepius fluore albo conjuncti sunt, aut sanguis magnis cum doloribus profluit.

Cujus quidem, ut ita dicam, labis universalis animus particeps reddi solet. Aegrotae tristes solitudinem petunt, ad melancholiam vergunt ejusque comites, morositatem et iram. Nonnunquam ingens oritur veneris cupido, et meditationibus libidinosis agitatus animus valde delectatur verbis, aut scriptis, de amore fatisque amantium agentibus.

DIAGNOSIS.

Facillime morbus signis laesae reproductionis et assimilationis nec non functionis uterinae anomalae ab aliis dignoscitur, praesertim in vitae decrepiditate obvenientibus, in qua nunquam chlorosis occurrit. Negari quidem non potest, multa assimilationis mala similia gignere symptomata, quae si omnia nostro morbo adnumerares, vix certis esset chlorosis circumscripta finibus, aut potius nulla esset.

Exitus morbi sunt multi et varii. Leviores morbi gradus, aut naturae vi per annos invalescente, aut solis remediis diaeteticis ad sanitatem haud raro reducuntur. Si vero malum ingravescit, interdum febris intrat nervosa, aut hydrops, phthisis pulmonalis, aut mesaraica, morbi cordis et vasorum majorum, exanthemata pertinacissima, mania, melancholia, epilepsia, febris lenta, quae omnia morte tandem terminari solent.

AETIOLOGIA.

Ipsa aetas juvenilis, et tempus ineuntis, aut vixdum absolutae pubertatis, certe primum inter causas praedisponentes tenet locum. Eo magis quidem aetas juvenilis ad hunc morbum vergit,

quod systematis uterini modo excultae functiones facillime tum causis internis, tum externis turbantur, ob majorem illo tempore corporis facultatem, injurias recipiendi. Dein vitae ratio, quam puellae nostris temporibus plerumque degunt, inprimis vita sedentaria (1). „Quies enim nimia musculorum, in toto corpore, vel in aliqua parte, fibras musculares motui ineptiores reddit; minuit velocitatem in omnibus humoribus; hinc concretio, inspissatio, inertia tam fluidorum, quam principiorum, ea constituentium; cellularum repletio; obesitas, leucophlegmatia.“ Quare iis puellis, quae aciario opere victum quaerunt, aeque ac iis, quae more mulierum nobiliorum nimis otiosae et ignavae degunt, omnes fere corporis motus negligunt, attamen cibis largioribus atque excitantibus vescuntur, chlorosis supervenit. Apud pauperes nimia ciborum viscositas, praesertim farinosa indoles, multum valet ad producendam chlorosin, inde enim exoritur similis humorum conditio, obstructiones glandularum, inertia, frigus, pallor. Nec exiguum infert puellis detrimentum potulentorum abusus, prae ceteris spirituosorum et tepidorum, ut infusi coffeae

(1) Boerhaave Institut. med.

tostae, foliorum theae boheae ac viridis. Praeter aetatem corporis constitutio certa, aut congenita aut acquisita, ad causas praedisponentes pertinet. Quae quidem dispositio hereditaria universali statu torpido systematis nervosi et vasculosi, praesertim abdominis, habituque leucophlegmatico manifestatur. Acquisita illa constitutio, partim ex educatione perversa, partim ex illa vita sedentaria, aut ex habitatione in locis paludosis, in vallibus altioribus, aut in domibus, magna hominum caterva atque aëre corrupto repletis, originem ducit. Morbi quoque praegressi, inprimis assimilandi et producendi vim debilitantes, hoc loco sunt ponendi, ut scrophulosis, febris intermittens, nervosa, pituitosa, blennorhoeae, fluor albus, helminthiasis et complures alii.

Haud minus numerosae et variae sunt causae occasionales. Inter alias repentina caloris et frigoris vicissitudo magni est momenti, praesertim cum menses hoc modo turbentur. Summo jure et somnus vel nimis longus vel justo brevior, in stragulis calidioribus, nec non vestitus, aut cutis transspirationem, aut corporis motum liberum prohibens, accusandi sunt. Duae supersunt causae saepius difficillimae cognitu et sub-

latu, quarum altera corpori et animo aeque est infesta, altera in animum tantum perniciosissimos exserit effectus: onania et varii animi motus deprimentes. Quantum detrimenti corpus ex onania capiat, nemo est, qui nesciat. Similem praebent effectum motus animi deprimentes, ut moeror diuturnus, amor desiderii plenus, curae, sollicitudo, nostalgia, imaginatio libris aut colloquiis obscoenis, aut certe lubricis excitata.

Quae sit causa proxima, nondum satis constat. Nonnulli in debilitate systematis lymphatici eam ponunt (1). Veteres deduxerunt morbum a glutine spontaneo, quod primitus in prima digestionis officina, deinde in sanguine, tum in reliquis inde derivandis liquidis, nasci dixerunt. „Cum chlorosi, seu pallido morbo, incipiunt toties laborare circa primam menstruorum eruptionem virgines, res haec evidenter patet: dum enim ad incrementi apicem pervenit muliebre corpus, incipit aequilibrium inter solida et fluida nasci: viscera interim chylopoëtica agunt ut an-

---

(1) Jahn, Clinik der chronischen Kinder-Krankheiten.

Brandis Erfahrungen über die Wirkung der Eisen-Mittel im Allgemeinen und des Driburgér Wassers ins Besondere. Hannov. 1803.

tea: hinc plus boni liquidi: quod non auget vim corporis, sed molem movendorum, manente eadem causa motrice: hinc totum corpns iners fit, tumet, pallet; non ob jacturam sanguinis rubri, sed quia quotidie chylus albus sanguini affunditur, quem vires corporis non valent mutare in sanguinem rubrum.“ Darwin ab hepatis vasorum resorbentium et secernentium torpore, et mensium retentione, alii a veneris defectu, morbi naturam repetendam, crediderunt. Etsi vero in multis chloroseos casibus hepar et reliquae abdominis glandulae tumefactae et morbosae videntur, et in majori morbi gradu icterus flavus oriri solet, tamen non semper hepar est afflictum. Auctore Harless chlorosis est cachexia systematis vasculosi, et arteriosi et venosi, inprimis uteri, posita in comminuto cruore et fibrina sanguinis, simul adaucto sanguinis sero. Puchelt eam pro imminuta venositate habet. Mihi quidem persuasum est, ventriculi totiusque assimilationis laesas functiones morbum excitare. Nam symptomata alienatae nutritionis reliquis antecedere et eminere videbis, neque difficile est intellectu, quanam ratione hoc fiat. Sicuti in omni animante, ita et in homine systema vegetativum quasi fundamentum sistit omnium alia-

rum facultatum et functionum, quo labefactato illae simul aegrotare incipiunt, etsi in homine assimilationis prae aliis functionibus non tantum est momentum quantum in ceteris animalibus et plantis; oritur inde perversa illa sanguificatio, et alia morbi symptomata. Simul hoc modo explicatur, cur mulierem potissimum chlorosis adoriatur, cui quidem nutritio et assimilatio multo est vegetior, quum destinata sit ad recipiendum et excolendum foetum. Neque mirum est, systema uterinum tanti corporis detrimenti particeps reddi, quia inchoante pubertate majorem partium nutrientium copiam ad uterum duci oportet, id quod debilitatis organis vegetationi inservientibus fieri non potest.

Celeberrimus ille **Petrus Frank** chlorosin retentionibus lymphatico-serosis adnumerat, ejusque originem a mensium suppressione deducit.

PROGNOSIS.

Ut in quovis alio morbo, ita in chlorosi prognosis admodum variat, partim tempore, per quod persistit morbus, partim complicationibus, quas adscivit, partim denique causis. Si chlorosis puellas aggreditur, hucusque firma valetu-

dine usas, summa sanandi spes affulget, vel sine medicamentis, dummodo causae tollantur. Sin morbus per longum tempus persistit atque assimilationis systema jam nimis est debilitatum, facile transit in periculosos illos morbos: hydropem, febrem nervosam et lentam, aliosque, de quibus supra sermonem feci. Eo magis quidem funesti illi morbi exitus verendi sunt, quo minus causae removeri possunt. Haud minoris aestimandae sunt complicationes, quas iniit chlorosis, ad praesagiendum ejus eventum. Prae aliis scrophulosis multum obstat sanationi, praesertim cum saepissime aegrotae aptam vitae rationem aut ingredi nequeunt, adversis scilicet rebus domesticis pressae, aut inire nolunt propter consuetudinem. Quae mulieres prius chlorosi laborabant, per omnem saepe vitam steriles manere, vel ad abortum propensae esse, aut debiles et infirmos infantes edere dicuntur. Ceterum in universum chlorosis per se haud nimis est timenda, neque ullo fere in morbo alio tot ac tanta suppetunt medico auxilia. Inveterata vero, aut perperam curata, non solum vitae est infestissima, sed maximas quoque offert medico difficultates in sanando, imo omnibus frustra tentatis in mortem ruit.

Quod attinet ad decursum, chlorosis jure morbis chronicis adnumeratur, quia tardissime et sine crisibus perspicuis ad finem perducitur.

SECTIO CADAVERUM.

Sectis cadaveribus nil certi, nisi inopiam sanguinis oxydati et fibrinae magnamque musculorum mollitiem invenies. Quibus omnibus, cum medendi ratione collatis, opinionem meam de morbi natura confirmari puto. Nam illa remedia, quae ventriculi intestinorumque vim plasticam augent, atque majorem fibrinae copiam gignere dicuntur, tonica sic dicta, optime aegrotis opitulantur. Praeterea cor quoque praeter naturam amplum ejusque valvulae osseae, nec minus uteri, ovariorum, hepatis, glandularumque mesenterii a normali statu deviationes, corporisque cava sero repleta saepius apparent.

MEDENDI RATIO.

Curatio prophylactica: Educatio, prima ab infantia apta, tum ethica, tum physica, optimum est remedium prophylacticum. Praecipue ineunte pubertate videamus oportet, ne cupidines emergentes animum et corpus corrumpant; porro, ne

animi facultatibus solis excultis, corporis vires negligantur.

Curatio morbi perfecti. Inprimis causas remotas explorari et tolli necesse est, quae plerumque persistere et morbum nutrire solent. Dividimus autem curationem primum in diaeteticam et pharmaceuticam, quarum haec absque illa saepissime nihil auxilii praestat. Certe nullo alio in morbo remedia diaetetica tam sunt efficacia, quam in chlorosi. Saepe majores morbi gradus his solis curantur, et ad faustum eventum adducuntur. Quidquid in diaeta invenitur vitiosi, emendetur; semper autem respiciatur consuetudo, ne nimis cita vicissitudo plus noceat, quam prosit. Aër modice calidus et siccus, e mediterraneis regionibus salubribus et a fluminibus spirans, agitatus vento, apricus et ruralis, ab exhalationibus pravis defaecatus, quam maxime confert ad sanitatem restituendam. Derelinquatur igitur domicilium humidum, malisque vaporibus impraegnatum, mutetur laetiori atque sicco. Multum obambulet aegrota sub coelo sereno, in locis amoenis, occupetur operibus hortensibus et domesticis. Ceterum corporis motus non ad majorem fatigationem continuentur, sed donec

blandus sudor emergat, vel sensus non ingratus lassitudinis oriatur. „Otium humectat, et corpus reddit debile, labor siccat, et corpus robustum reddit.“ Peregrinationes et itinera ad loca montosa et serena, quibus aër est purus, vel maxime commendanda sunt, nam reficiunt corporis vires, animumque reddunt hilariorem. Equitationes a multis maxime laudatas equidem haud commendaverim, quia systema partium genitalium nimio sensile et calore et frictione facillime excitatur, itaque utilitas, quam fert corporis motus, illo damno suspenditur. Melius esse puto, vehiculo ferri. Vestitus neque sit nimis angustus, neque tenuior, sed ad temperiem accommodatus. In regionibus septentrionalibus abdomen et femora tunica circumdentur, ne frigus genitalia offendere possit. Aegrota haud dormiat justo diutius, neque utatur stragulis nimis calidis. Nam longiores somni calefacientes, ut dixit Hippocrates (1), colliquant carnem et corpus diffundendo resolvunt et imbecillum reddunt.

Cibi sunt simplicissimi, eupepti ut fructus arborei, cerasa, pruna cocta, mala, panis albus,

(1) Hippocr. de victus ratione l. II. s. X.

lac dulce et recens, ova, venatio, aut caro agnina et vitulina et alia, quibus addenda sunt condimenta leviora aromatica, parce et brevibus intervallis sumenda. Potus optimus, si requiritur ad levandam sitim, aqua frigida est, sin ad nutriendum corpus, cerevisia cocta et vinum aqua temperatum; quorum vero delectus secundum conditionem aegrotae habendus est. A manstupratione plane abstinendum est. Quodsi morbus puellis puberibus nimio et inexpleto coitus desiderio supervenit, matrimonium suadendum est. Nam experientia Hippocratis verba probavit: „Virginibus, inquit, suadeo, quibus tale quid accidit, ut citissime cum viris conjungantur. Si enim conceperint, sanae evadunt. Quod nisi fiat una cum pubertate, aut non ita multo post, his tentabuntur, nisi viro jungantur.“ At saepissime quominus his praeceptis obtemperetur res gravissimae obstant. Ante alia circumspiciatur numne adsint morbosae affectiones, quae libidines illas excitent, ut inflammatio aliqua lenta, occulta, aut corpora aliena in vagina, vermes etc. quae quam celerrime removeantur oportet. Si vero malum est psychicum, remediis psychicis debelletur necesse est, inter quae religio prae primis no-

minanda. Versetur aegrota in coetibus virorum ingenio et virtute excellentium, quo amor ejus fiat magis Platonicus, ut ita dicam, solitudinem et otium vitet. Simili modo tollantur affectiones animi deprimentes, moeror, tristitia, amor infelix, nostalgia. In quibus curandis medicus prudens multa et magna praestare potest, dummodo aegrotae fiduciam sibi conciliare noverit. Hic apparet, quantum medico praestent sympathia et taciturnitas. Peregrinationes quoque et itinera his in casibus magnam afferunt utilitatem, animus enim vicissitudine rerum et hominum avellitur a meditationibus tristibus, et res novas videndo occupatus reficitur. Simul motu et inspiratione aëris puri corporis vires instaurantur. Denique solatium et musices delectamenta hisce aegrotis multum opitulantur.

At non semper illa remedia diaetetica sufficiunt ad morbum exstinguendum, sed per remedia pharmaceutica succurrendum est. Quorum quidem remediorum, officinalium, contra chlorosin commendatorum, tantus est numerus, quantus raro ad curandum morbum nominatur. Prae aliis ferro maxima tribuitur in sananda chlorosi virtus. Qui vero in qualibet chlorosi confestim

ad ferri praeparata properet, certe non salutarem videbit eventum, nam in majori gradu plane rejicienda sunt, nisi antea assimilatio ad meliorem statum est redacta. Quare prius organa nutritionis, ventriculus et intestina, aliis remediis sunt firmanda. Intestinis muco viscido obsessis ne amplius eo functiones laedantur, utque simul remediis tonicis viam aperiamus, leniter ducenda est alvus, aut dandum emeticum. Si quaedam symptomata usum emetici non prohibent, emeticum laxanti praeferendum est. Id enim non muco tantum tenaci ac viscido ejiciendo, sed etiam corpus totum concutiendo agit, quo vasis cum resorbentibus, tum secernentibus major quasi additur vita, totiusque abdominis saepe mutatur vegetatio (1). Est autem dispiciendum in eligendo emetico, num adsit propensio ad diarrhoeam, necne. Praesente diarrhoea ipecacuanha, absente tartarus stibiatus optimum exhibet emeticum. Inter laxantia salia neutra purgantibus drasticis postponenda sunt, ob inimicum in assimilationem jam debilitatam effectum. Alvus tarda cieatur rheo, jalapa, aloe, senna cum

(1) Van Swieten.

cortice aurantiorum, vel radice calami aromatici junctis. Ubi infarctus glandularum, viscerum abdominis, vel totius corporis exstant, non ut in aliis morbis hydrargyrum muriaticum mite, utpote nutritioni nimis inimicum, porrigatur, sed ejus in locum gummata ferulacea, sapones, extractum graminis, saponariae, chelidonii, cicutae etc. substituantur. Contra acidum primarum viarum absorbentia, magnesia carbonica, pulvis aërophorus, conchae praeparatae, kali sulphuricum, juncta cum aromaticis, digestionis vim incitantibus et augentibus, adhibenda sunt. Saepissime evenit, ut tanta ventriculi et intestinorum sit debilitas, ut omnia remedia fortiora minime ferantur. Quibus in casibus primum tonicis levioribus utendum est, absynthio, fumaria, extracto taraxaci, mentha, carduo benedicto, dein cascarilla, simarubra, quassia, china etc. in aquis spirituosis, ut cinnamomi, menthae piperitae etc. cohabata. Dolores et spasmi sedantibus et antispasmodicis curentur. Cephalalgia, quam aegrotae saepissime queruntur, secundum causam debelletur, et si ex congestione aut plethora pendet, quod quidem rarius fit, derivantia adhibeantur, plerumque hirudinum applicatio, laxan-

tia, pediluvia tepida sufficiunt. Sin, quod saepius accidit, e sensibilitate nimia ortum ducit, narcotica, inprimis opium, magnam sibi peperererunt laudem ad ferendum auxilium. Insultus hysterici si oriuntur, tonicis illis et roborantibus addenda sunt antispasmodica, ut asa foetida, chamomilla, valeriana, liquor cornu cervi, tinctura anodyna, camphora, moschus. Ipsa clysmata, quibus opii dosis modica superadditur, spasmis haud raro egregie medentur, quamvis manu incauta adhibitum idem remedium et apoplexiam et crurum paralysin excitasse dicitur (1). Magna opus est ingenii sagacitate et prudentia, ut medicus aegrotarum sensibilitati et vi digestivae varia remedia nervina et roborantia adaptet. Interdum laborant aegrotae erethismo systematis vasculosi, congestionibus, palpitationibus cordis, epistaxi, pneumorhagia erethistica. Hisce quam maxime opitulatur digitalis purpurea cum cremore tartari, elixir acidum Halleri, acidum phosphoricum, cujus ternis horis gutt. decem viginti praebeantur; sublato de-

(1) Pet. Frank de curandis retentionibus lib. VI. pars III.

mum erethismo, dentur amara, aromatica, china etc. Diaeta composita, causisque occasionalibus ablatis erethismo nervoso et vasculoso sublato, tempus est sanguinis kakochymiam tollendi, vitiosamque chylificationem et sanguificationem fortioribus illis remediis, china et ferro corrigendi. Cum china facile dyspepsiam cieat, initio ejus infuso-decoctum, cum calamo aromatico, aut tinctura aurantiorum, dein decoctum solum, postremo pulvis chinae, sed haud prius, quam illa leviora remedia data sint, et ventriculus satis firmatus, porrigatur. Si forsan alvum reddiderit tardam, cum rheo jungatur. Efficacissimum autem remedium merito ferrum putatur; at tum demum adhibendum est, cum bile et muco excretis, erethismo vasculoso et nervoso sublatis, assimilatio amaris, aromaticis et china ita est firmata, ut martialia ferantur; semper praeparata leviora limaturae ferri anteponenda sunt. Quare primum ammonium muriaticum martiatum cum ligno quassiae, cui, si alvum retardat, sulphur, tartarus depuratus, aloë addantur, praeterea ferri tartarici grana quinque ad quindecim, ter per diem, cum cascarilla, cinnamomo, aut si asthenia laborat ventriculus, tinctura nervina Bestucheffii dein

tinctura ferri acetici, ferrum muriaticum, vinum martiatum, tandem limatura ferri, optime forma electuarii, exempli gratia cum syrupo corticum aurantiorum, pulvere radicis rubiae tinctorum et cortice chinae pulverisato, ut Osiander praecipit, porrigantur. Quod attinet ad perturbationes profluvii menstrui, si in menstruatione anomala chlorosis causa est posita, emenagoga temperantia sunt indicata, venaesectiones parcae in pedibus, hirudinum applicatio, borax, ammonium muriaticum, kali tartaricum, liquor digestivus; si vero amenorrhoea aut menostasia ex eodem fonte ac chlorosis originem ducit, nimirum ex cacochymia illa sanguinis, chlorosis tantum impugnanda est, hac enim cedente, anomaliae quoque mensium evanescunt.

Inter remedia externa balneorum administratio, tum alkalinorum, tum adstringentium et martiatorum, et naturalium et artificialium, haud infimum tenet locum ad sanandum morbum. Quibus vero balneis artificialibus, aquae martiales nativas, initio calidas, sensim frigidas, longe esse praeferendas, experientia docuit. Cum usu externo internus quoque jungatur. Praestantissimi hujus generis fontes sunt: Brückenaviensis, Driburgen-

sis, Schwalbacensis, Scandaviensis, Lauchstadiensis. Quorum usum si res externae vetant, insessus in fluvio, tempore aestivo, imperandi sunt, juncti cum corporis frictionibus. Ad tollenda oedemata pedum, frictiones eorum ope pannorum laneorum fumigationes e styrace, et leviora diuretica, ut juniperus et similia adhibeantur. Semper martialium usus per aliquot menses continuandus est, etiamsi morbus evanuit.

VITA.

Natus sum ego, Henricus Zumnorde, Oeldae, Guestphaliae oppido, anno hujus saeculi duodecimo, patre optimo Joanne Reinero, matre carissima Elisabetha, e gente Hülswitt, quam praemature mortuam valde lugeo. Fidei addictus sum catholicae.

Primis litterarum elementis, aquis Mattiacis in paedagogio, quod tum florebat Cel. de Laspée, per tres annos imbutus, gymnasium Warendorpiense, et quinque annos post gymnasium Monasteriense frequentavi, ubi examen maturita-

tis superavi. Dein almam petii litterarum universitatem, Fridericam Guilelmam, Rhenanam, ibique ab Ill. Walther t. t. rectore magnifico inter cives academicos receptus et ab Ill. Harless t. t. decano maxime spectabili, in album ordinis medici inscriptus, per annos tres hisce interfui praelectionibus: Ill. van Calker de psychologia et logice; Ill. G. Bischoff de physica et chemia experimentali; Ill. Noeggerath de mineralogia, Ill. Treviranus de botanice, Ill. Mueller de encyclopaedia et methodologia artis medicae, Ill. Mayer et Ill. Weber de anatomia generali, speciali et comparata, quos quoque duces habui in arte cadavera rite dissecandi, Ill. Mayer de physiologia, Ill. Albers de pathologia, tam generali, quam speciali, de morbis syphiliticis et de medicina forensi, Ill. Wutzer de chirurgia, akiurgia tam theoretica quam practica, de arte fascias applicandi et de morbis oculorum, Ill. Kilian de arte obstetricia morbisque mulierum; Ill. Nasse de therapia generali et speciali, et physiologia cerebri. In

exercitationibus clinicis chirurgicis et medicis per annum, Ill. Nasse et Ill. Wutzer moderatores habui.

Bonna relicta, tempore autumnali anni MDCCCXXXV. Berolinum me contuli et ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico inter cives academicos receptus, a decano maxime spectabili Ill. Mueller medicinae studiosis adscriptus sum. Per annum exercitationibus clinicis interfui Ill. Rust, Ill. Juengken, Cel. Wolff, Ill. Bartels, Cel. Truestedt, Cel. Dieffenbach.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias ago quam possum maximas.

Tentaminibus vero, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso, rite superatis, spero, fore ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Amputatio penis ligaturae praeferenda.
2. Ligatura arteriarum torsioni praeferenda.
3. Crustae pleuriticae nec praesentia ad venaesectionem iterandam, nec ejus absentia ad omittendam indicationem statuere potest.
4. Graviditatis incipientis, nullum certum signum.